



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Sectio Octava.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

*Aeternis
rationibus
vivent; ni-
hil nocet
hac mundi
perturba-
tio.*

stras ultra mortalitatis huius terminos euocaret, & ad vitam aeternis rationibus instituendam hortaretur; ad quemuis impij felicitis, boni infelicitis, occursum mens nostra collabasceret, praesertim cum ne iam quidem factis aestuantium cogitationum fluctus euadat, nisi quantocyus ad portum, quem proximo versu pandit Ecclesiastes, vela conuertat.

SECTIO OCTAVA.

ECCLESIASTES.

VERSUS 15. Laudavi igitur iactitiam quod non esset homini bonum sub Sole, nisi quod comederet & biberet, atque gauderet: & hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitae suae, quos dedit ei Deus sub Sole.

METRICA PARAPHRASIS.

PROCUL hinc odora naris

Stolida sagacitatis,

Vinamus, atque edamus

Sereniore fronte,

Sereniore mente.

Quid enim profana turba

Sacratioris aula,

Secretioris urnae

Decreta iniquiores

Ad calculos vocamus?

Quae sanxit aula caeli,

Quid terra ruminatur?

Procul

Procul hinc odora naris
 Stolidæ sagacitatis :
 Vivamus, atque edamus.
 Procul hinc procul faceffant
 Planctusque lacrymæque,
 Luctusque, & impeditæ
 Suspiriis que crebris
 Singultibus que Voces,
 Nihil que profutura
 Querentibus querele.
 Curas procul voraces
 In Caspias procellas
 Zephyri ferant Volucres.
 Vivamus, atque edamus
 Animo solutiore,
 Vultu que amœniore,
 Dryadum que per recessus,
 Nemoris que delicati
 Per frondeos Penates,
 Vbi quercus hospitalis
 Ramosa tecta pandit :
 Vbi sibilo tepenti
 Zephyri comis adulant,
 Loquacibus que nidis
 Pandionis Volucris
 Liquidum melos fritinnit ;
 Aut herbido tapete
 Triclinium paremus,
 Vbi prata Vere primo
 Salientibus scatebris,
 Trepidantibus que riuis,
 Vitreos bibunt liquores:

Eccc 3

Vbi

Ubi culta per cuncta
 Soboles amœna veris,
 Rosæque, liliumque,
 Croci que, calthulæque,
 Sitientibus labellis,
 Et hiantibus labellis
 Rorem hauriunt & auram.
 Hic cœva purpurascens
 Amabilis Veseni,
 Hic profluant Falernis
 Elisa vina pralis,
 Quæcis naufragentur imo
 Curæ obrutæ profundo.
 Hic mensa delicatis
 Opibus referta ruris,
 Et ferculis inemptis,
 Saliaribus deorum
 Cœnis superba litem
 Moueat beatitatis.
 Hic dormiente curâ,
 Et pruriente orexi,
 Viuamus atque edamus.
 Hic segreges canoris
 Animemus æra plectris:
 Hic munerum soluti
 Risus sereniores
 Captemus, & lepores,
 Innoxios lepores;
 Interque blandiorum
 Fomenta gaudiorum
 Viuamus atque edamus.
 Laboris hoc leuamen,

Et unicum leuamen
 Hæc fluxa vita carpit,
 Et fructus hic laboris
 Et unicus laboris,
 Quo nunc datur potiri,
 Dum lampadis diurnæ
 Vitam quadriga carpit,
 Et hora trudit horam,
 Dapibus leuare orexin,
 Curaque uellicante
 Sub massico sepultâ,
 Equum bonumque habere
 Quod dia sanxit vrna.
 Procul ergo odora naris
 Stolidæ sagacitatis:
 Vuamus atque edamus.

PROSA EXEGESIS.

NON difficile mihi foret certissimis hîc argumentis
 Dei causam tueri, cuius prouidentia ratio sapien-
 tissima, & iudicia sunt vndequaque iustissima. Sed cum
 insatiabile sit curiosorum cacoëthes, & insana contradi-
 cendi libido; abstinendum potius esse iudico ab arca-
 nâ illâ diuinorum iudiciorum flammâ, cuius stricturas
 tantum ac scintillas quasdam nictantibus oculis deli-
 bare conceditur, ipsam contemplari non permittitur.
 Sed quemadmodum qui in Solem acrius defigit obtu-
 tum, hebetiorem illum refert, magisque caligantem; ita
 mentis omne lumen amittit, qui curiosius eam intendit
 in hoc lumen.

Nemo igitur impudenter à Deo pœnarum præmio-
 rumque rationem exigat: quia nihil magis rationi con-
 senta-

*Iudicia Dei
 non sunt
 curiosè in-
 daganda.*

*Multò mi-
nus carpen-
da.*

sentaneum est, quàm ut hæc ratio nemini à Deo reddatur. Neque temerè quis de eius æquitate aut iniquitate sententiam proferat: causæ enim tam obscuræ non benè cognoscuntur de plano; multoque impudentiore petulantia carpuntur, quæ nec capiuntur quidem. Et frustra quidem carpuntur cælestis aulae decreta, quæ mutari nequeunt. Nam siue placeant siue displiceant, ferenda sunt nihilo fecius.

Vidit hoc olim Cleanthes, inter Stoicos sapientie laude clarus: qui sic Deum huius vniuersi moderatorem alloquitur:

*Epictet. in
Enchirid.
Necesse est
homini pla-
cere quid-
quid Deo
placet.*

*Duc me parens, celsique dominator poli,
Quocumque placuit: nulla parendi mora est.
Adsum impiger. Fac nolle; comitabor gemens,
(Ducunt volentem fata, nolentem trahunt)
Malusque patiar, quod pati licuit bono.*

Verè malus, qui diuinæ voluntati oblectatur, Deumque mauult emendare quàm se. Quantò sapientius generosus animus se totum Deo tradit, & æquissimum esse censet, non displicere homini, quidquid placitum est Deo, asperum hoc sit an dulce, prosperum an aduersum, iuxta habens. Ad hoc enim sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare nostræ non est potestatis. In regno nati sumus: Deo parere libertas est. Quid dico libertas? imò & voluptas: cum exploratum habeamus, Deum vnumquemque nostrum patris vicem, imò & matris, diligere: Deo res nostras esse cordi: Dei prouidentiam assidue pro salute singulorum atque vniuersorum excubare.

*Acquiescè-
ntium diuinis
iudiciis.*

Præclare igitur Ecclesiastes, cum non posset densas illas diuinorum iudiciorum nebulas mentis acie penetrare, satis interim securus, quidquid diuina prouidentia decer-

decerneret, id optimum fore & conuenientissimum, omissis disputationum argutis, & profanâ curiositate repudiatâ. *Laudani igitur, inquit, letitiam, quòd non esset homini bonum sub Sole, nisi quòd comederet & biberet, atque gauderet.* Quâ adagiali formâ loquendi hortatur vnumquemque, ne se frustra discruciet, animumque diuinis consiliis imparem, arcanae prouidentiae disquisitione fatiget, sed animo soluto à curis ac libero, Dei donis, ac laboris sui fructibus hilariter fruatur. Neque quâ ratione hoc vniuersum gubernetur, neque quid aliis fiat, aut se futurum sit, anxie perquirat, sed de paterno Dei in se & in bonos omnes affectu securus, in sinum se diuinæ prouidentiae lætus immergat. Non dissimilis est apud Poëtam exhortatio, cum ait:

*Permites ipsis expendere Numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quæque dabunt DI.
Carior est illis homo, quàm sibi.*

Deo cura sumus.

Iuuenalis Sat. 10.

Pro iucundis, inquit, dabit Deus aptissima. Sed falsum est: aptissima simul dabit & iucundissima. Neque enim, ut ait Seneca, necessitatibus tantum nostris prouisum est: vsque in delicias amamur. ita matrum instar etiam delicate nos habet Deus.

Sen. 1.4 de Benefic. 5.

Quantus hic amoris diuini fomes! quàm luculenta occasio cælestibus decretis acquiescendi! Vidistis aliquando tenellos infantes iam primâ balbutie blæsulisq; vocibus gratiores, inter vbera materna reclinato capite suaui silentio quiescentes: at illi fati superque sibi cautum arbitrantur, si maternos sinus occupauerint, de affectu earum nihil ambigentes, quin optima quæque sibi destinent. Quis autem de infinitâ Dei bonitate ac misericordiâ minora concipiet, quæ non patris tantum erga

Acquiescendum in diuinâ prouidentia velut in sinu matris.

Ffff

nos

nos officium exsequitur, sed & matris, & nutricis, & ge-
 rula? Ipse Deus fidem verbis meis faciet apud Prophe-
 tam. sic enim ait: *Ad ubera portabimini, & super genua*
Ma. 66, 12. *blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego*
consolabor vos.

Blanda, faceta, delicata sunt hæc, inquiet aliquis, sed
 non omnem omnino animo spinam eximunt. Vtinam
 æquè in promptu esset hæc lætitia, ad quam hortatur
 Ecclesiastes, & fiducia de paternâ Dei prouidentia, tum,
 cum pungit, vrit, fecat, vulnerat, omnemque tyran-
 norum carnificinam in iustorum corpora sæuire per-
 mittit.

Quid dicam? Vereor vt in his tormentis æquè per-
 suadere possim suauem Dei prouidentiam iis, qui extra
 calamitatis aleam constituti sunt, ac iis qui læti alacres-
 que membra sua torquenda, vitulanda, discerpenda
 tradiderunt. An non auditis nobilissimorum iuuenum
 triadem in fornace Babylonicâ diuinas laudes modu-
 lantem? An non aduertitis, quantâ vultus alacritate ge-
 nerosi Martyres Tiburtius & Valerianus per prunas, ac
 si rosas calcarent, ambulauerint? An non obstupescitis
 B. Thyrsus sub ferrâ sui securum, ac diuinâ virtute
 ferri aciem illæso corpore obtundentem? An illos quis-
 quam de paternâ Dei prouidentia questos existimet?
 An inquam piorum conditionem deplorasse? an vlti-
 ces è caelo flammas exciuisse?

Minimè verò, inquis: sed non omnibus hæc mira-
 culorum prodigia succurrunt, nec semper Deus violentas,
 vt ita dicam, naturæ manus iniicit, vt amicis opitu-
 letur. Nonnumquam etiam dirissimis illos tormen-
 tis excrucitari, vitamque & sanguinem profunderè per-
 mittit.

Esto

*Ipsi Mar-
 tyres de
 tormentis
 suis non
 queruntur.*

Daniel. 3.

Esto sanè: sed quid interest, flammæne fornacis in
 toridam Deus auram mutauerit, an æstuentes inter tor- Deus ami-
 cis adest
 etiam in
 tormentis.
 menta Martyrum animos cælestis gratiæ rore refrigera-
 rit? Quid interest, prunæne verterit in rosas, an inui-
 cta pugilum corda transformarit in adamantes? Quid
 interest, aciémne ferri diuinitus obtuderit, an Marty-
 rum patientiam fecerit inuulnerabilem?

Quod autem de tyrannorum carnificinâ diximus,
 idem in morborum cruciatibus ac flagellis, idem in
 temporum calamitatibus, idem in aduersæ fortunæ telis
 obseruandum esse iudico sapienti, vt non tantum nullo Iusti om-
 nis a quo
 animo de
 manu Dei
 accipiunt.
 dolore contrahatur, neque de prouidentiâ diuinâ fini-
 strè sentiat, sed hilari etiam ac soluto animo hoc vnum
 sibi persuadeat, res suas Deo esse cordi, nihilque dubi-
 tet, quin optima quæque & conuenientissima sit datu-
 rus, cum sit pater filiorum amantissimus; neque existi-
 met in rerum delectu à scopo aberraturum, cum sit idem
 sapientissimus.

Persuasissimum hoc habuit aliquando mendicus ille, Vide Ope-
 ra Tau-
 leri.
 quem Deus Taulero cælestis sapientiæ magistrum as-
 signauerat. Inuenit eum Taulerus ad portas templi la-
 cerum, seminudum, frigore tremulum, morbis ac mise-
 riiis contabescentem, verbo, miserrimum atque egentis-
 simum mendicabulum. Precatus est illi cuncta prospe-
 ra. Ille contrà negare sibi quidquam in vitâ contigisse
 aduersi. Rursum Taulerus optare illi à Deo felicitatem:
 sed ille rursus negare se aut esse aut vniquam fuisse mi-
 ferum. Rationem hanc adiecit, nihil vniquam se diuinâ
 voluntate prius aut potius habuisse, quare cum egesta-
 tem ac morbos à diuinâ manu proficisci non ignoraret,
 eadem se veræ solidæque felicitatis summiq[ue] beneficij
 loco ducere. Quisquis sic animo compositus fuerit, pro-
 fectò

fectò vitam ducet omnis perturbationis expertem, animique serenitatem nullis interpolatam nubibus, puramque ac defæcatam lætitiã consequetur, & tamquam in portu aut pharo constitutus, fluctuantes alios in hoc tempestuoso vitæ oceano cum Ecclesiaste mox securus intuebitur.

SECTIONONA.

ECCLESIASTES.

VERS. 16. Et apposui cor meum vt scirem sapientiam, & intelligerem distentionem, quæ versatur in terrâ: est homo, qui diebus & noctibus somnum non capit oculis.

17. Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub Sole: & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minùs inueniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

METRICA PARAPHRASIS.

BEATVS ille, quisquis inscrutabile
 Caliginosi deserens fati chaos,
 Domitisque curis, mente compositã exigit
 Serenus æuam: nullus hunc stabili gradu
 Inordinatus ordo deturbat, licet
 Sidereus axis cardine excussus ruat,
 Polumque auerno misceat, solo salum.
 Hanc explicatã fronte dum fortem intuo

(Bea-